

Cum subito (vatum nec narro insomnia, nec quæ
 Decepta obscuris viderit in tenebris
 Mens animi simulacra, quibus sed nil pote quidquam
 Esse usquam in Pindi verius historia)
 Uranie ante oculos pulchra adstitit: intremuere
 Mi artus, hæsit vox faucibus in mediis.
 Diva sed accedens roseo lætissima vultu
 Horrorem, atque omnes expulit ipsa metus:
 Mox ait; o rerum vates ignare, Myræi,
 Quem tibi fies raptum, parce dolere vicem.
 Nec Divum lacrimis viola; non tristia Ditis
 Regna, nec obscuras incolit ille domos,
 Ultricesque manus Furiarum, atque ora veretur,
 Sed viget in superis umbra beata choris.
 Illic nam sedes vatum secreta piorum est;
 Qui non Idalii furta leves pueri,
 Incestosque arcus cecinere, ac noxia tela,
 Florentemque genas Phitida, & aureolo
 Nescio quæ miseris nectentem retia crine:
 Sed Divum laudes, factaque clara hominum,
 Et quæcumque animis possent audita mederi;
 Quos inter parili sorte Myræus agit.
 Vidi egomet supra nubes, atque aurea vectum
 Sidera, qua purum lactea sternit iter
 Semita: cœlestem vidi cum se intulit urbem
 Late auro, & flavis undique chrysolithis
 Fulgentem clare: quam largo interluit amni
 Fons sacer, & dulci dulcior ambrosia;
 Unde haurit puros latices formosa Juventa,
 Misceat ut magnis pocula Cœlicolis.
 Hic inter pubemque piam, vatesque beatos,
 Ptima illæc coetus lumina Parrhasii,
 Jam melior, jam se major multaque coruscat
 Luce, dato felix & sedet in folio;